

capillos. Cum vero Episcopo mitra imponitur, Diaconus assistens a dexteris, imposito bireto, illam imponet, altero a sinistris adjuvante, et vittas a tergo Episcopi aptante; et semper, quoties Episcopus apud sedem suam elevat manum dexteram signando se, aut alios signo crucis, velut cum benedicit thus, cum benedicit Presbyterum assistentem, qui eum thurificavit, vel alias quoties personas, aut res aliquas benedicit, sive pectus percutiendo, aut alia de causa, toties Diaconus a dextris parum elevat pluviale a latere suo, ac etiam cum thurificat altare. Cum autem elevat ambas manus, et quando est lecturus aliquid ex libro, seu daturus benedictionem solemnem, Diaconi assistentes hinc inde elevat fimbrias pluvialis, et cum Episcopus cantat, vel legit aliquid ex libro, ipsi Diaconi assistentes hinc inde apponunt manus super librum, et primus volvit folium, alter digito indicat textum, qui legi debet; sed celebranti Missam, quia non habet pluviale, sed planetam, non est necessarium fimbrias elevare, sed ei servient in cæteris rebus necessariis, et specialiter in ponendo et auferendo mitram, quod sæpius accidit: videlicet primo, cum pervenerit ante altare genuflexus; secundo, post thurificationem altaris in principio Missæ, cum ipse thurificatur; tertio, cum dicit Introitum, et *Kyrie eleison*, cum dicit *Gloria in excelsis Deo*, cum dicit Orationes; quarto, ad Evangelium, id est, statim data benedictione Diacono; quinto, statim finita confessione per Diaconum post sermonem, ubi sermo habetur, pro absolutione danda; sexto, ad Offertorium; septimo, cum post Offertorium ad altaris gradus pervenerit; sed hoc casu Diaconus, Evangelium cantans, aufert ei mitram: et regulariter cum Episcopus est apud altare, serviet ei Diaconus Evangelii, cum vero est apud sedem, serviunt ipsi assistentes, nisi ubi necessitas aliud suadeat, ut post thurificationes altaris; quia tunc primus Diaconus assistens imponit ei biretum et mitram, cum Diaconus Evangelii tunc sit impeditus cum thuribulo, quod de manibus Episcopi accepit, ut eum thurificet. Regulare enim est, tam in Missis, quam in

Vesperis quod, existente Episcopo apud sedem suam, sedenti semper aufertur et imponitur mitra: secus quando genuflectit pro oratione facienda; quia tunc stanti imponitur, genuflexo aufertur (excepto casu primi accessus ad Ecclesiam, ut supra, Cap. II. § v.) et quando est apud altare, in Missa stanti imponitur et aufertur. Hoc etiam observent ipsi assistentes, ut cum unus ex eis surgit, facturus aliquod ministerium, ad rem divinam spectans, pariter et alii coassistentes surgunt; cum autem sessuri sunt, nutu capitis se invicem ad sedendum invitant. Hæc, quæ diximus, observanda sunt, celebrante Episcopo solemner.

4. Si vero non celebret, sed Officio divino intersit, præfati assistentes Diaconi erunt apud Episcopum in habitu Canonicali, et omnia facient et observabunt, secundum regulas supradictas. Sciendum autem est, quod hujusmodi assistentia facienda est tantummodo Episcopo loci Ordinario; et nulli alteri, etiamsi sit Legatus, qui in sede Episcopi sederet.

## CAPUT IX.

**Officium Diaconi in Missa solemnī, quæ ab Episcopo celebratur. Induit Episcopum sacris paramentis. Evangelium cantat. Quando recitare debeat Confessionem. Episcopum sacris paramentis exuit.**

1. Diaconus, qui Evangelium cantaturus est, Episcopo solemner Missam celebrante, debet simul cum aliis Canonici Episcopum ad Ecclesiam comitari; nam et ipse ex Canonici Diaconis esse debet, nec refert an sit de antiquioribus, necne, cum tale onus inter ipsos per vices, vel alias arbitrio Episcopi, vel juxta consuetudinem Ecclesiæ distribuendum sit: et dum alii Canonici accipiunt paramenta, ipse quoque eodem loco accipiet sua, aliquo ex Clericis Ecclesiæ adjuvante; et primo accipiet amictum, quem in medio osculabitur, qui crucis figura carere non debet; eumque

sibi aptabit circa collum, ita ut collaria tegat; mox albam et cingulum accipit, succinctus albam sibi circumcirca aptari faciat, ut æqualiter fluat; tum stolam prius in medio, ubi crux est, deosculatam, super humerum suum sinistrum imponet, et sub suo brachio dextero firmiter alligari faciet; demum accipiet dalmaticam, nisi essent tempora, quibus ipse et Subdiaconus planetis plicatis uti debeant, sicuti in *Capitibus XIII. et XVIII. Lib. II. explicatur*; manipulum vero non hic, sed postea accipiet; qui sic paratus, simul cum Subdiacono, postquam Episcopus laverit manus, stabit ad ejus dexteram, et simul cum Subdiacono stante ad sinistram, capiet paramenta Episcopi de manibus Acolythorum, ea suo ordine ferentium: illisque induet Episcopum modo et ordine in *Capite VIII. Lib. II. late et distincte expositis*. Episcopo parato, accipiet suum manipulum: et cum Episcopus procedet ad altare, ipse immediate ibit ante illum ad sinistram Presbyteri assistentis; faciet deinde confessionem cum Episcopo ante altare stans ad ejus sinistram, et cum dicit *Tibi Pater*, et *Te Pater*, conversus ad Episcopum, profunde se inclinatur. Postquam Episcopus osculatus fuerit librum Evangeliorum super altare, porriget illi naviculam incensi, cochleari prius, et manu Episcopi osculatis, et imposito thure in thuribulum, reddit naviculam Acolytho, a quo accipit thuribulum, quod Episcopo porrigit, summitatem catenularum ponens in manu sinistra ipsius Episcopi, thuribulum vero in dextera cum debitis osculationibus; et dum Episcopus thurificat altare, ipse brachium ejus sustentat; quo thurificato, recipit thuribulum de manu Episcopi, cum osculo manus et catenularum, et thurificat Episcopum in cornu Epistolæ cum mitra stantem, triplici ductu, ante et post thurificationem profunde se inclinans, ac reddit thuribulum Acolytho. Recedente Episcopo ab altari, ipse ibi remanet cum Subdiacono, et dicente *Kyrie eleison* Episcopo, ipsi idem dicunt inter se, stante in eodem loco versus altare; sedente postea Episcopo, et ipsi sedent in scamno aliquo parato in cornu Epistolæ

altaris. Et cum Episcopus intonaverit canticum *Gloria in excelsis Deo, etc.*, una cum Subdiacono illud usque ad finem prosequitur.

2. Cantata per Subdiaconum Epistola, cum per chorum cantatur ultimus versus Gradualis, sive Tractus, aut Sequentiæ, seu ante *Alleluia*, aut etiam citius, prout distantia altaris exquiret, portabit ante pectus ad altare, debitas faciendo reverentias, librum Evangeliorum clausum, collocans illum in medio altaris. Deinde accedit ad Episcopum cum debitis reverentiis, illiusque manum osculatur; mox redibit ad altare, et genuflexus super infimo ejus gradu in medio, dicit secrete *Munda cor meum, etc.* tum surgens resumit librum de altari, et rediens ad Episcopum, inclinatus petit ab eo benedictionem, dicens *Jube domne benedicere*. Et habita benedictione, accedit ad Evangelium cantandum, portans, ut supra, ante pectus librum Evangeliorum clausum, et incedens ultimo loco post omnes suos comministros; cum erit in loco, ubi solet Evangelium cantari, ponit librum apertum in manibus Subdiaconi, vel in legili, aut alias, juxta consuetudinem Ecclesiæ, ut in prædicto *Capite VIII. Lib. II. et junctis manibus ante pectus, dicit cantando Dominus vobiscum*. Et cum dicet *Initium*, vel *Sequentia sancti Evangelii, etc.*, signat pollice dexteræ manus initium Evangelii, ac seipsum in fronte, ore et pectore; et dum respondetur a choro *Gloria tibi Domine*, accipit thuribulum de manu Acolythi, sive Cæremoniarii, et librum triplici ductu thurificat, primo in medio, tum a parte dextera libri, mox a sinistra; et reddit thuribulum Cæremonario, ac manibus junctis, incipit Evangelium.

3. Quo finito, factis debitis reverentiis, revertitur ad altare, ad locum suum; sed si Episcopus esset apud faldistorium, ipse eum stantem, lecto Evangelio, triplici ductu thurificare debet; si vero Episcopus est in sede sua, id spectat ad Presbyterum assistentem. Si fiat sermo per Episcopum sedentem in faldistorio apud altare, statim finito sermone, ipse stans ad ejus sinistram modicum inclinatus

recitabit confessionem in tono, prout infra in *Cap. xxxix. Lib. II. de tono confessionis, etc.* Et cum in ea dicet *Et tibi Pater*, profundius inclinabit, sic etiam in fine cum dicet *Et te Pater*. Idem faciet, si sermo per alium habeatur; sed quia tunc Episcopus sedet in solio suo, ipse stans apud infimum gradum solii, faciet confessionem eodem tono et modo ut supra. Cum Episcopus inceperit cantare Symbolum *Credo in unum Deum, etc.* ipse cum Subdiacono illud submissa voce prosequetur apud altare; ita tamen, ut non præire, sed subsequi debeant Episcopum; et cum a choro recitatus fuerit versiculus *Et incarnatus est* usque ad finem, ad quem ipse, sicut alii Canonici, profunde se inclinatur, accedit ad abacum, et capit bursam cum corporalibus quam, ad oculos usque elevatam, ambabus manibus portat ad altare, incedens solus, gravi et decoro incessu, et solitas reverentias Episcopo et altari faciens; ibi extrahit ex bursa corporale, quod explicat, et extendit in medio altaris, collocans a parte Evangelii bursam, ita ut altare non impediatur, et redit ad locum suum, et ibi sedet.

4. Finito Symbolo, si Episcopus sedebat in faldistorio, aufert ei mitram; et lecto per eum Offertorio, imponit eidem mitram pretiosam; et simul cum Subdiacono aufert anulum et chirothecas. Quod si Episcopus erit in sede sua episcopali, Diaconi assistentes auferent et imponent ei mitram, et auferent chirothecas. Redeuntem Episcopum ad altare, et gradus altaris ascendentem ipse a dexteris adjuvat; mox ut Episcopus pervenit ad medium altaris, Diaconus accedit ad cornu Epistolæ, et accepta una ex duabus hostiis, quas invenit a Sacrista in patena paratas, cum illa tangit alteram, et patenam, et calicem circumcirca intus et foris, et dat illam prægustandam eidem Sacristæ. Idem similiter facit de vino et aqua, modicum de illis effundens in patenam, ad id paratam. Tunc porrigit Episcopo patenam cum altera hostia, pro sacrificio offerendo, cum osculo patenæ et manus.

5. Dum Episcopus dicit *Suscipe, sancte Pater, etc.* Diacono

nus ex ampullis mittit in calicem, quem prius purificatorio extersit, vinum pro consecratione, et post admistas illi per Subdiaconum paucas aquæ, tunc per Episcopum benedictæ, guttas, offert calicem Episcopo cum osculis etiam calicis et manus, cum eo tangens et ipse calicem, dicit *Offerimus tibi, Domine, etc.* et posito per Episcopum calice super corporale, ipse illum palla cooperit: et accedente thuriferario, ministrat Episcopo naviculam, et mox ponit in ejus manibus, ut supra dictum est, thuribulum, ut thurificet oblata et altare, quem adjuvat, supponendo sinistram brachio illius, et retrahendo dalmaticam, dexteram vero ad pedem calicis ponendo, ne, dum Episcopus oblata thurificat, thuribulo tactus, e loco removeatur, vel aliquid ex illo effluat: et cum thurificanda erit crux altaris, ipse opportune calicem e medio removebit, et cruce thurificata, in eodem loco illum reponet. Finita thurificatione altaris, accipiet thuribulum de manu Episcopi, cum deosculationibus, et eum stantem cum mitra in cornu Epistolæ triplici ductu thurificat; mox accedit ad thurificandum dignitates, et Canonicos, et alios de choro, ordine in *Cap. xxiiii Lib. I.* descripto. Quo facto, dat thuribulum Acolythro, vel Cæremoniaro, a quo et ipse, stans post celebrantem in gradu altaris infra suppedaneum, thurificatur. Finita Præfatione, accedit ad dexteram Episcopi, dicens cum eo *Sanctus, Sanctus, etc.* et statim redit ad locum suum post celebrantem; et cum celebrans incipit verba Canonis: videlicet *Te igitur, clementissime Pater, etc.* attente advertat, ut opportune partem dalmaticæ ad brachium illius sublevet, et discooperiat, et cooperiat calicem, quoties opus fuerit; prout in rubricis Missalis explicatur; et cum celebrans elevat hostiam, ipse genuflectit ad ejus dexteram, et sinistra elevat aliquantulum posteriorem partem planetæ. Reposita hostia super corporale, surgit, detegit calicem, et statim genuflectit, et iterum sublevat planetam, dum celebrans calicem elevat, quem repositum super altare palla cooperit, genuflectit, et redit ad locum suum post celebrantem; advertens,

dum celebrans signat super hostiam et calicem, ut partem dalmaticæ circa brachium ejus semper aliquantulum sustineat; et cum dicit ea verba Canonis, videlicet *Benedicis et præstas nobis, etc.* ipse accedens, detegit calicem; et quoties calicem detegit, toties genuflectit, adorans SS. Sacramentum prius et post. Cum celebrans signat dicens *Per ipsum, et cum ipso, etc.* retinebit duobus digitis dexteræ manus pedem calicis; et reposita hostia super corporale, tegit calicem palla, et redit ad locum suum. Circa finem *Pater noster, etc.* videlicet, dum celebrans dicit *Et dimitte nobis, etc.* ascendit ad cornu Epistolæ, et accipit patenam de manu Subdiaconi, cum purificatorio detersam, osculatamque ab ipso, videlicet, dum dicit verba Canonis *Libera nos, etc.* ponit eam in manu dextera ipsius celebrantis, quam similiter osculatur: et cum Episcopus supponit patenam hostiæ, ipse detegit calicem, ac posita per celebrantem particula hostiæ in calicem, illum tegit, et cum celebrante dicit *Agnus Dei, etc.* et supplet loco assistentis Presbyteri ad librum, donec ille redeat ab osculo pacis, infunditque vinum in calicem pro purificatione celebrantis.

6. Si facienda erit Communio generalis, postquam Episcopus celebrans se, et Diaconum et Subdiaconum communicaverit, ante purificationem, et antequam digitos abluat, ipse Diaconus, stans in cornu Epistolæ inclinatus, confessionem alta voce cantabit, aliaque faciet, prout in die Paschæ dicitur. Advertendum autem est, quod, etiamsi non fiat Communio generalis, semper a Diacono et Subdiacono, nisi sint Sacerdotes, et velint celebrare, accipienda est Communio ab Episcopo celebrante, a quo et immediate osculum pacis accipere debent, ut dicitur in *Cap. xxix. Lib. II.* et in *Cap. xxiv. Lib. I.*

7. Postquam celebrans digitos abluerit, Diaconus, translato libro cum pulvino ad cornu Epistolæ, imponit mitram pretiosam in capite Episcopi, qui abluit manus, mox eidem mitram aufert, et vadit post eum; et dicto post ultimam Orationem *Dominus vobiscum*, ipse stans conversus ad po-

pulum, sive ad altare, quemadmodum Episcopus, cantat *Ite Missa est* in tono competenti, vel *Benedicamus Domino*, prout tempus exigit. Et, si celebrans est daturus benedictionem, imponit ejus capiti mitram pretiosam, nisi sit Archiepiscopus qui sine mitra propter reverentiam crucis benedicit.

8. Si celebrans sit Archiepiscopus, et cum pallio celebraverit, data benedictione, et publicata Indulgentia, Diaconus extrahit illi pallium, et super altare illud deponit; denique comitatur Episcopum, donec, depositis manipulis per ipsum Diaconum et Subdiaconum, illum exuat sacris paramentis: quo exuto, etiam ipse sua deponit, et recedit in pace.

9. Si celebratur pro Defunctis, observabit, quæ in Missali de Missa Defunctorum dicuntur. In Collegiatis, vel absente Episcopo, et in Dominicis Adventus et Quadragesimæ, ac feriis, servabit quæ de iis in propriis capitibus, et in rubricis Missalis Romani leguntur.

## CAPUT X.

**Canonicus antiquior, ex ordine Subdiaconorum, seu dignior ex eodem ordine, assistat Episcopo solemniter celebranti. Quæ paramenta afferat Episcopo. Quando imponere debeat manipulum Episcopo. Epistolam cantat. Ministrat ampullas vini Diacono, et infundit aquam in calicem, patenam sustinet, calicem abstergit, et reponit, ac Diaconum adjuvat in exuendo Episcopum.**

1. Eodem tempore, eodemque loco et modo, prout de Diacono dictum est, Subdiaconus, qui et ipse de numero Canonicorum erit, et, si inter Canonicos distinctus erit ordo Subdiaconalis, antiquior, seu dignior ex eodem ordine, comitabitur Episcopum ad Ecclesiam procedentem,

et accipiet paramenta sibi convenientia, quæ eadem fere sunt, quæ superius Diacono conveniunt, excepta stola, quæ Subdiaconus non utitur; accipiet autem super alba tunicellam, quæ ejusdem formæ est, cujus est dalmatica Diaconi, nisi quod strictiores, longioresque aliquantulum manicas habet.

2. Episcopo igitur incipiente legere Psalmos *Quam dilectia*, etc. affert illi caligas et sandalia, ex credentia sumpta, quæ portat super bacili, vel super velo, alio velo serico cooperta, ambabus manibus ad oculos usque elevatis; et adjuvante uno ex familiaribus Episcopi, induit primo tibiam et pedem dexterum Episcopi, mox sinistrum, genuflexus sub cappa illius, et cum tempus erit, simul cum Diacono adjuvabit Episcopum, dum cæteris paramentis sacris induitur; quod munus licet ad Diaconum præcipue spectet, Subdiaconus tamen coadjuvat, ubi opus est, ut infra in *Cap. viii. Lib. ii.* Et postquam Episcopus fuerit paratus, ipse accipiet manipulum, et procedente Episcopo ad altare, immediate ibit post crucem, librum Evangeliorum clausum ante pectus portans, in quo inclusus erit manipulus Episcopi; et facienti Episcopo confessionem, ipse parum retro stans apud Diaconum, respondet simul cum Presbytero assistente, et Diacono, et interim deponit dictum librum Evangeliorum in manibus Cæremoniarum, et cum Episcopus dicit *Indulgentiam, absolutionem, etc.* accipiet ex dicto libro manipulum, illumque a latere osculatur; et Episcopo, ubi est signum crucis, osculandum porrigit a sinistris; mox illum imponit sinistro brachio Episcopi, et manum Episcopi osculatur; et eidem, cum supremum altaris gradum ascenderit, adjuvante Presbytero assistente, porrigit osculandum dictum librum Evangeliorum apertum, ubi est principium Evangelii illius Missæ: stans in cornu Evangelii a sinistris Episcopi, ab ea parte adjuvat illum, altare thurificantem, sicut Diaconus a dextris. Redeunte autem Episcopo ad suam sedem, ipse remanet cum Diacono Evangelii apud altare. Et cum Episcopus dicit *Kyrie*

*eleison, etc. Gloria in excelsis Deo, etc. et Credo in unum Deum, etc.* ipse in eodem loco ea dicit cum Diacono; et quando sedendum est, sedet cum eodem. In fine Orationis, seu Orationum, cum Episcopus dicit *Per Dominum nostrum Jesum Christum, etc.* accipiens librum Epistolarum, et factis reverentiis altari et Episcopo, comitante Cæremoniarum, Episcopo sedente cum mitra, ipse, librum tenens, incipit alta voce cantare Epistolam in loco consueto.

3. Qua finita, accedit ad Episcopum, cui profunde inclinatus, librum super ejus genibus ponit, et osculatur illius manum super libro positam; accedit deinde cum Diacono ad lectionem Evangelii, procedens manibus junctis immediate ante illum; et illi, legenti Evangelium, tenet ambabus manibus librum apertum ante pectus, vel legile manibus tenet, aut adhæret Diacono, si in ambone, aut pulpito Evangelium legatur, ut in *Cap. viii. Lib. ii.* latius explicatur: et si forte Diaconus, proferendo aliqua verba Evangelii, inclinaret se, aut genuflecteret, librum, vel legile tenens, ipse nullatenus movetur, cum repræsentet legile immobile.

4. Finito Evangelio, tenens adhuc librum apertum, nulla tamen facta reverentia, illum sic apertum offert Episcopo osculandum in loco, ubi est principium Evangelii cantati; quo osculato, et clauso libro, facit Episcopo reverentiam, et revertitur ad altare.

5. Postquam vero Episcopus lavit manus post Offertorium, ipse accedit ad abacum, et extenso sibi, adjuvantibus Acolythis, circa humeros velo serico, quo calix, patena, et alia super dicta mensa cooperiebantur, ita ut a latere dextero longius pendeat, accipit manu sinistra calicem cum patena, et hostiis palla tectis, eaque omnia longiori illa parte veli cooperit, altera manu super ea apposita, caute advertens, ne aliquid forte decidat, et accedit ad cornu Epistolæ altaris, eodem tempore, quo Episcopus illuc pervenerit; eaque omnia, remoto velo, dat in manibus Diaconi; mox eidem Diacono tradit ampullam vini ab

Acolyto receptam, ampullam vero aquæ ipse Episcopo ostendit, et petit, ut benedicat, dicens: *Benedicite, Reverendissime Pater*, ex qua benedicta infundit paululum in calicem.

6. Post oblationem hostiæ et vini factam, accipit de manu Diaconi patenam, quam veli prædicti extremitate, adjuvante Cæremoniario, contegit, eamque elevatam sustinet usque ad finem *Pater noster, etc.*, stans retro in loco consueto et conveniente; nec movet se, nisi cum ad elevationem SS. Sacramenti genuflectit: quo elevato, statim surgit; et cum celebrans dicit in Oratione Dominica *Et dimitte nobis, etc.*, facta debita genuflexione, accedit ad altare in cornu Epistolæ, dictamque patenam Diacono offert, qui eam, a Cæremoniario, vel a seipso velo discoopertam, accipit: tunc ipse Subdiaconus, deposito velo in manibus Cæremoniarii, vel Acolythi, redit ad locum suum, et supplet a dextera Episcopi pro Diacono, dum ille inservit loco Presbyteri assistentis a sinistra, discooperiendo calicem, et alia faciendo, quæ erunt necessaria et opportuna, donec Episcopus Communionem sumpserit; et eo communicato, ipse post Diaconum accipit Communionem et pacem ab eodem Episcopo, *ut in proxime præcedenti Cap. § vi. de Diacono dictum est.* Mox imponit vinum in calicem pro purificatione, nisi prius redierit ad locum suum Presbyter assistens, quia tunc hoc facit Diaconus, reversus ad dexteram Episcopi. Demum accepta per Episcopum purificatione, dum lavat manus, ipse tergit calicem, plicat corporalia, illaque simul cum palla, purificatorio et bursa ad abacum reportat cum debitis reverentiis, mox redit ad locum suum post Episcopum, et ibi stat usque ad finem Missæ, et, ea finita, adjuvat Diaconum in exuendo Episcopum.

7. Si celebrabitur pro Defunctis, alio ordine et ritu multa faciet, ut in *Cap. xi. Lib. ii.* Idem dicitur quoad habitum, et alia quædam in Missis, quæ celebrantur in Dominicis Adventus et Quadragesimæ, et in aliquibus feriis. In

Collegiatis vero, et Episcopo absente, ipse servit loco assistentis in danda pace, ac etiam Episcopo præsentem, si celebratur Missa ab aliquo Canonico, vel alio qui non habeat Presbyterum assistentem.

## CAPUT XI.

**Episcopo, Vesperas solemniter cantanti, præter Presbyterum et duos antiquiores Diaconos, septem Acolythi serviant. Dum Missam solemniter celebrat, alii sex ministri addantur. Munia ministri de libro, de candela, de baculo, de mitra, de thuribulo, de candelabris, de gremiali, de ampullis et de abaco explicantur. Si celebrans est Cardinalis, vel Archiepiscopus, aut Episcopus valde insignis, convenit, ut Magistratus, vel proceres civitatis bacilia et aquam opportune ministrent. Magistratus et nobiliores sedeant in loco, eis assignato extra Presbyterium.**

1. Ut Episcopales functiones, præsertim in Ecclesia, et in divinis Officiis commodius, digniusque exerceri valeant, plures necessarii sunt ministri, licet pauciores in Vesperis sufficiant, quam in Missis. Cum ergo Episcopus Vesperas solemniter cantabit, ultra Presbyterum assistentem, duosque antiquiores Diaconos assistentes, qui cæteris digniores sint, de quorum officio supra dictum est, ubi commode fieri poterit, septem saltem alios ministros habere eum convenit, aspectu, habitu et tonsura decentes, ac cottis mundis indutos. Primus erit, qui de libro; secundus, qui de candela servient; tertius, de baculo pastorali; quartus, de mitra (qui quatuor, si adsit consuetudo, induantur etiam pluvialibus); quintus, de thuribulo et navicula; sextus et septimus, de candelabris et cereis.

2. Cum vero Missam solemniter celebrat, ultra prædictos, ac Diaconum et Subdiaconum, de quorum officiis etiam